

nam, si non restituam per meipsum, retribuam per hæredes. Numquid bona mea mecum tumulabuntur? Numquid hæc bona in alterum mundum afferam?

Responsio : Respuit Deus hoc tuum restituendi propositum, quia non est sincerum neque efficax, proindeque nihil prorsus tibi proderit. O frater! jam cerno apertam gehennæ abyssum ad te suscipiendum, vorandumque!

Restitues alio tempore! Quare non in præsentî? Animadvertite fucatas esse, quas affers, ratiunculas. Numquid alio tempore non tibi etiam occurrent alia negotia suscipienda, vel perficienda? Restitues alio tempore? Sed quandonam, quæso? Quot alii talem effutierunt prætextum, et absque restituto ære alieno decesserunt, et nunc æterno igne cremantur!

Restitues per hæredes! Sed potesne confidere eos æquiores et justiores te ipso futuros esse? Nonne etiam potiori jure, cum debita personaliter non contraxerint, hi etiam ad alios hæredes onus restitutionis remittent, ita ut producenda sit hæc maledicta catena detentorum boni alieni, qui successive in abyssum æternæ damnationis irruent? Hæc est igitur abominanda hæreditas filiis tuis a te relinquenda? Nec a tanto tui ipsius et illorum periculo horrescis?

Non afferes bona tua in alterum mundum? Hoc verissimum est: sed afferes injustitias tuas ad tremendum Dei judicium! afferes maledictionem creditorum tuorum ultra tumulum! afferes animam peccatis non dimissis coinquinatam, et in orcum te auferet diabolus; clamat enim Augustinus: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et ingeminat magnus Paulus: *Rapaces regnum cælorum non possidebunt!* Vide igitur quid tibi magis expediat, ut æternæ saluti tuæ prospicias.

CASUS

DE POSSESSORE REI ALIENÆ

Agendum de triplici possessores, scilicet bonæ fidei, malæ fidei, et dubiæ fidei.

CASUS I.

POSSESSOR BONÆ FIDEI 1°.

GAUDENTIUS emit, et possidet bona fide prædium constans ex domo et vineis. Domum ruinosam pro commoditate sua immutat, vineas pinguiores facit, et copiosos inde colligit fructus. Alias bovem emit, quem majori pretio vendit LUCÆ. Sed ecce paulo post rescit prædium pertinere de jure ad PAULUM, et bovem ad JOANNEM. Hinc anxius quærit a Confessario ad quid teneatur in singulis casibus?

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei?*

2° *Ad quid teneatur GAUDENTIUS in duplici casu?*

SOLUTIO :

599. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Possessor bonæ fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur adhuc eam exstantem in toto vel in parte, aut in emolumento, restituere domino noto, cum ejusdem rei incremento, seu cum eo omni ex quo factus est ditior, deductis tamen expensis in commodum rei factis, necnon fructibus industrialibus. Quod si non restituat, possessor malæ fidei evadit.

2° Ad nihil autem tenetur, si, tempore bonæ fidei, rem consumpserit, amiserit, destruxerit, nec inde ditior evaserit; item si legitime prescripserit.

3° *Ex Jure Gallico* possessor bonæ fidei nullos fructus restituere debet, si excipiantur fructus adhuc pendentes, seu rei inhærentes, cum rem restituere debeat ut hic et nunc existit. *V. Comp. n. 635-636.*

600. — *R. ad 2^m Quæs.* GAUDENTIUS : 1° tenetur restituere PAULO prædium, deductis tamen expensis, et fructus naturales saltem exstantes, *ex Jure Romano.* *Ex Jure autem Gallico* satis est, si restituat nudam proprietatem uti nunc existit, deductis expensis omnibus. Potest igitur servare omnes fructus, non solum industriales, sed etiam naturales, et se compensare pro expensis necessariis, vel utilibus ad rei conservationem, etc. *Cod. civ. n. 548.* Non potest autem se indemnem facere pro expensis mere voluptuariis, ut patet.

2° Quid vero quoad bovem quem non amplius habet, et de lucro quod in eo vendendo percepit? *R. In casu evictionis,* pretium refundere debet

in emptorem evictum. *Extra casum evictionis*, controvertitur; sed *probabiliter* ex omni jure ab obligatione restitutionis excusandus est, quia rem non habet, nec ex ea factus est ditior. Solvit enim pretium emendo, et recepit vendendo. Quid si lucrum aliquod fecerit, bovem carius revendendo? Hoc ejus industriæ tribui debet. *Ita Lugo et alii sat communiter*. Plures tamen magni nominis Theologi contendunt lucrum illud domino reddendum esse, quia possessor bonæ fidei ex illo ditior factus est, neque in re illa revendenda habetur industria specialis. *Sic Billuart et alii*. Admittunt tamen venditorem illud lucrum posse servare, si usus esset industria vel labore *extraordinario* ad lucrum illud obtinendum, v. g. si alio perrexisset ut rem majori pretio revendere posset. *V. Comp. n. 638-640 (1)*.

CASUS II.

POSSESSOR BONÆ FIDEI 2°.

1° PAMELIUS emit bona fide frumentum furtivum; servat illud brevi tempore; sed ecce! nescio quo eventu, notabiliter crescit frumenti valor in foro publico. Hac bona sorte utitur PAMELIUS et vendit magno lucro frumentum hoc quod putat esse suum. Sed mox rescit istud ad CAIUM pertinere, et inquit dubius a Confessario quid sibi faciendum sit?

2° FAUSTUS de nundinis redux, venditis mercibus, nimiam pecuniæ summam in crumena reperit, nescitque a quo emptore plus debito sibi fuerit solutum, vel quo emptor abierit. Quamobrem incrementum istud, de bona occasione gaudens, sibi retinet.

HINC :

QUÆR. 1° *An PAMELIUS retinere possit, non tantum pretium quod ipse solvit pro frumento, sed etiam lucrum quod percepit illud revendendo?*

2° *An FAUSTUS pecuniam superfluum sibi servare possit?*

SOLUTIO :

601. — *R. ad 1^m Quæ.* 1° PAMELIUS *probabiliter* servare potest pretium quod ipse solvit frumentum emendo. Constat ex dictis in casu præcedenti.

2° Non potest autem retinere lucrum quod obtinuit frumentum revendendo, quia lucrum illud minime spectari potest ut fructus industriæ; provenit enim unice ex eo quod valor rei intrinsece creverit. *Res autem crescit domino*. Nec obstat id quod dictum est in casu præcedenti, nempe GAUDENTIUM *probabiliter* posse servare lucrum ex bove revendito habitum, quia valor bovis in se non creverat, et proinde venditor peritiæ suæ

(1) *Ex Jure Gallico* dominus rei amissæ aut furtivæ, per tres annos rem hanc reclamare potest ab actuali possessore, qui recursum servat in eum a quo eandem accepit. *Art. 2279*. — Item possessor actualis rei furtivæ, si eam bona fide emerit in foro publico, in licitatione publica, vel a mercatore res hujus generis vendente, non tenetur illam priori domino restituere, nisi ab isto de pretio quod tribuit indemnitas fiat. *Art. 2280*.

lucrum obtentum tribuere potuit; in præsentem autem casu valor frumenti ex æstimatione communi crevit: ergo lucrum proveniens ex revenditione nullo modo peritiæ venditoris tribuendum est. Ergo PAMELIUS ex illo lucro factus est ditior independentem ab industria sua; ergo illud domino restituere debet.

602. — *R. ad 2^m Quæ.* Pecuniam hanc superfluum sibi servare potest FAUSTUS nemine postea reclamante. Habenda enim est ut quid derelictum quod primo occupanti prodesse potest. Non sufficit enim ad restitutionis obligationem, ut possessor bonæ fidei detegat rem a se possessam esse alienam, sed etiam requiritur ut dominum rei vel ejus hæredes cognoscat. Secus enim rem retinendo nemini injuriam facit.

CASUS III.

POSSESSOR BONÆ FIDEI 3°.

Cujus rei pretium?

CALLIXTUS aurifaber, centum francis emit a viro, quem probum credebatur, quamdam argenti conflati massam ex qua confecit calicem, quem postea cuidam monasterio 150 fr. vendidit. Hucusque bene; sed mox gravis insurgit difficultas. CALLIXTUS, nescio quo casu, certo rescivit argentum illud furtive subtractum fuisse eidem monasterio, cui calicem vendiderat. Obstupefactus et mirans, nescit quid sibi agendum sit.

HINC :

QUÆR. 1° *An CALLIXTUS ad aliquid erga monasterium teneatur?*

2° *An Superior monasterii, re cognita, possit datum pretium repetere, vel non adhuc solutum renuere?*

3° *Quid, si calix ipse in specie monasterio fuisset subreptus, a CALLIXTO bona fide emptus, et majori pretio eidem monasterio venditus, atque a Superiore recognitus, sive ante, sive post pretii solutionem?*

SOLUTIO :

603. — *R. ad 1^m Quæ.* CALLIXTUS, aurifaber, ad nihil prorsus tenetur erga monasterium, neque ratione pretii quod solvit pro massa argentea, neque ratione lucri 50 francorum.

1° Quidem ad nihil tenetur pro massa argentea, in hypothesi quod eam integram ad conflandum calicem adhibuerit; quia de massa illa aliena nihil amplius possidet, ne in emolumento quidem, nec inde factus est ditior, cum ratione massæ nihil receperit, nisi id quod ipse solvit ad eam emendam. Possessor enim bonæ fidei ad nihil tenetur, nisi rem ipsam alienam possideat, vel inde ditior evaserit.

2° Neque restituere tenetur monasterio, *ratione lucri 50 francorum percepti*. Lucrum enim illud minime est fructus rei alienæ scilicet argenti, sed est pretium laboris et industriæ artificis. Potuit quidem aurifaber ditior evadere occasione rei alienæ, non vero ex re ipsa aliena ditior factus est. *Elbel, n. 47*.

604. — *R. ad 2^m Quæst. Nego.* Etenim, ex dictis, aurifaber nihil restituere debet monasterio; ergo monasterium nihil repetere potest. Nec obstat quod Superior monasterii pro re sua pretium solverit; nam recursum servat in furem, si eum detegere possit. Si vero pretium non adhuc solverit, et probare valeat calicem confectum esse ex re sua, ad nihil aliud tenetur, nisi ad pretium laboris et artis in aurifabrum refundendum, quia pretium pro re sua retinenda rependere non debet. Secus ei pretium totum solvendum erit.

605. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Facta solutione, aurifaber totum pretium probabiliter retinere potest, perinde ac si alteri calicem vendidisset, sicut dictum est in casu præcedenti de bove alieno, qui bona fide fuit emptus, et cum aliquo lucro revenditus. Etenim aurifaber rem non amplius habet, nec factus est ditior, nisi ratione industriæ, seu commercii. Ergo nihil restituere debet, nisi sententia iudicis cogatur.

2^o Ante pretii solutionem, Superior nihil solvere debet, si probare possit calicem esse suum, quia non est justum ut rem suam emat. Tunc CALLIXTUS ad suum venditorem, seu ad furem recurrere debet, si possit, ad compensationem ab eo obtinendam.

CASUS IV.

POSSESSOR BONÆ FIDEI 4^o.*Frugifer equus!*

PANCRATIUS optima fide a quodam viatore equum pretium 300 fr. emit. Paucis autem post diebus, ecce, bona sorte, *Bucephalus* ille, cum feminei sexus esset, pulchellum pullum novo edidit domino! Ter beatus PANCRATIUS, servato pullo, matrem LUBINO cum lucro 30 fr. vendidit.

Res optime processerat, cum ab infausto nuntio rescivit equum esse furtivum, atque ad BERNARDUM pertinere. Interea iterum venditus fuerat equus cum novo lucro venditori obtingente. Quid PANCRATIUS? Adit Confessarium, qui ait: « Monito prius domino ut equum suum recuperare valeat, restitue pecuniam totam cum pullo, emptori tuo; nulla enim fuit venditio. » Perterritus, alium Confessarium interrogat, a quo sequens accepit responsum: « Sis quieto animo, mi bone, nihil ad te de domino, cum rem ejus non habeas. Serves 300 fr., quia totidem venditori tuo bona fide tradidisti; serves lucrum 30 fr. ratione industriæ tuæ in vendendo; serves pullum equinum, quia tibi clamat ratione nativitatis. » Huic posteriori decisioni libenter acquievit PANCRATIUS.

HINC:

QUÆR. 1^o *Quid juris, tum in casu evictionis, tum seclusa evictione?*
2^o *Quid de sententia utriusque Confessarii?*

SOLUTIO:

606. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o *In casu evictionis*, PANCRATIUS totum pretium acceptum refundere debet in emptorem evictum, quia tunc omnino

solvitur contractus. Recursum autem habeat in suum venditorem, si eum invenire possit. Quid vero de pullo? *De Jure Romano*, domino equi reddendus est: *res enim fructificat domino, et partus sequitur ventrem.* *De Jure vero Gallico*, a possessore retineri potest, cum res sola, seclusis fructibus, reddenda sit.

2^o *Extra casum evictionis*, PANCRATIUS servare potest, saltem *probabiliter*, tum 300 francos quibus equum emit, quia rem non habet, nec ditior inde factus est, tum lucrum 30 fr. quod animal revendendo acquisivit, utpote fructum industriæ suæ. Quid vero iterum de pullo? *De Jure naturali et Romano*, pullus *clamat matri, et matris domino.* *De Jure vero Gallico*, a possessore servari potest, ut jam modo dictum est. *Recole dicta supra in casu primo et secundo.*

607. — *R. ad 2^m Quæst.* (Seu quid de utroque Confessario?) Ex dictis satis liquet. Sententia prioris Confessarii, utpote severioris, a PANCRATIO omnino prætermitti potuit. Nec verum est, monendum esse dominum ab eo qui rem amplius non possidet, ut ipse dominus recuperare possit, cum periculo detrimenti subeundi. Ad id tantum tenetur actualis rei possessor, quia in manibus ejus domino clamat. Rectius judicavit Confessarius posterior; sed, cum esset sane natione *Gallus*, ex solo *jure sibi noto* ductus, pullum equinum possessori tribuit.

CASUS V.

POSSESSOR BONÆ FIDEI 5^o.*Infaustus asini casus!*

JOVIANUS, fide bona, furtivum asellum pretio 80 fr. sibi comparavit. Eventu beatus, eadem die 100 fr. hunc POLYBIO revendit. Expectationi novi domini asellus adeo satisfacit, et brevi tempore adeo crevit, ut equi non spernendi omnes partes adamussim impleret. Verum, cum die quadam in montana loca ad pascua fuisset perductus asellus, dum herbam in summa rupe carpere contenderet egregium animal, ex alto cecidit, cervicemque ad durissima saxa allisit, et infeliciter periit. Sed ecce inexpectata insurgit difficultas: detegitur verus asini dominus, scilicet POMPONIUS. Hic reclamat a JOVIANO pretium quod ab ultimo possessore seu a POLYBIO accepit. Negat iste quippiam se esse soluturum, quia bona fide bestiam emit 80 fr., atque ex industriæ fructu 20 fr. lucratus est. Sed etiam POLYBIUS ultimus possessor reclamat pretium quod dedit, ex eo quod venditio invalida fuerit. Unde lis maxima tibi dirimenda.

HINC:

QUÆR. 1^o *An tutus sit conscientia JOVIANUS in omnibus, vel cui reclamanti satisfacere debeat?*
2^o *Quid, si asinum titulo gratuito accepisset?*

SOLUTIO:

608. — *R. ad 1^m Quæst.* Quis jacturam pretii bestię feret e tribus? An

JOVIANUS venditor? An POLYBIUS emptor, in cujus possessione asinus periit? An POMPONIUS, animalis dominus? JOVIANUS a duobus cæteris lacessitur. Ecce clamat dominus, reclamatur vero emptor.

JOVIANUS juxta *probabiliorem* sententiam, solvendus est ab omni onere restitutionis. Quare enim ad solvendum asinum mortuum urgeretur? Ad nihil tenetur, neque erga emptorem, neque erga dominum. 1° Non tenetur erga dominum, siquidem bestiam non habet, neque ex ea ditior factus est, nisi ratione industriæ et laboris, eandem carius revendendo. Nec dici potest pretium rei rem ipsam repræsentare. Ergo JOVIANUS domino clamanti surdam aurem præbere potest.

2° Nec magis tenetur erga emptorem: etenim non fuit causa damni illius, neque ex re aliena ditescit, neque evictione ad pretium refundendum adigitur.

An vero dominus ab emptore seu a POLYBIO pretium asini repetere valeat? *Nego*, quia asinus periit, et domino periit. Frustra igitur clamat dominus, quando bestia jam clamare cessavit, et jam amplius ipsi clamare nequit. Tollat quidem POMPONIUS animalis pellem, si velit; ad nihil enim aliud jus habet.

609. — *R. ad 2^m Quæst.* *Controvertitur*: juxta communem sententiam, teneretur quidem JOVIANUS pretium asini restituere, quia ex illo revera factus esset ditior, cum in hypothesi rem titulo gratuito haberet. *Probabilis* emptori restituere deberet, quia bestia periit domino. Plures tamen sat probabiliter judicant restitutionem ipsi domino faciendam esse, quia, cum injuste re sua spoliatus sit, jus habet ut indemnis fiat. *V. Comp. n. 641.*

CASUS VI.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 1°.

AGATHONIUS confessionem instituendo hæc declarat:

1° Occupavit falso titulo prædium, quod magna cura excoluit, et ex quo, per varios annos, uberes fructus excepit.

2° Furatus est vaccam, ex qua lac quotidianum et vitulos plures percepit.

3° Equum furtivum scienter emit; sed, detecto domino, ne cogeretur ad equum hunc restituendum, cum venditore contractum rescindere festinavit.

4° Equum 200 fr. a domino emptum subripuit, et 250 fr. vendidit.

HINC:

QUÆR. 1° An AGATHONIUS teneatur non solum res acceptas, sed etiam omne emolumentum restituere in primo et secundo casu?

2° An in tertio casu equum furi reddere potuerit?

3° An in quarto casu satis sit si 200 fr. restituat, reliqua 50, tanquam fructum industriæ, retinendo?

SOLUTIO:

610. — *R. ad 1^m Quæst.* AGATHONIUS tenetur quidem in primo et secundo casu restituere non solum res acceptas, sed etiam omne emolumentum ex

eis perceptum; attamen expensas quas fecit ad excolendum agrum et enutriendam vaccam, deducere potest.

R. ad 2^m Quæst. *Controvertitur in tertio casu: probabilis* negatur, quia, equum mala fide emendo, in se totum ejus periculum suscepit. Attamen plures affirmant non improbabiler, juxta *S. Lig. n. 570*; quia, licet ille peccaverit, equum mala fide emendo, emptione tamen facta, jus habet ad contractum rescindendum, et equum furi reddendum, haud secus ac possessor bonæ fidei in simili casu.

611. — *R. ad 3^m Quæst.* *In quarto casu* AGATHONIUS pecuniam acceptam domino restituere debet, nisi lucrum, quod in equi venditione percepit, speciali suæ industriæ tribuere possit.

CASUS VII.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 2°.

1° ZACHARIAS a CAROLO centum aureos furatus est. Cum autem sit homo minime imperitus, adeo feliciter eos in commercio adhibuit, ut lucrum notabile ex eis perceperit. Verum postea volens injurias a se illatas reparare, a Confessario petit an satis sit si 100 aureos furtivos restituat, vel etiam lucrum ex eis acquisitum reddere debeat?

2° SISINUS gallinam TITI 15 assibus valentem subripuit. Ex ea ova non pauca collegit. Ex ovis autem, quæ fovenda incubanti gallinæ supposuit, ingens pullorum familia prodiit, et pullulavit. Alios vero grandiusculos vendidit, aliosque ad alia ova sibi parienda, novasque familias parturientas servavit. Tandem lucrum non modicum ex furtulo suo percepit. Sed, cum postea confessus fuisset, et totam rei seriem narrasset, damnatus est a Confessario ad totum lucrum ex gallina proveniente restituendum.

HINC:

QUÆR. 1° An ZACHARIAS teneatur ad lucrum ex pecunia furtiva perceptum, domino restituendum?

2° Quid, si pecuniam hanc mutuo collocasset, et inde fenus accepisset?

3° An SISINUS præter valorem gallinæ, restituere debeat omne lucrum ex ea perceptum?

SOLUTIO:

612. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° ZACHARIAS tenetur certo illud lucrum totum restituere, si dominus damnum æquale passus est, v. g. quia etiam ipse in commercio pecuniam suam posuisset, etc.; et hoc præsumitur, quoties dominus læsus est mercator, vel pecuniam in variis negotiis adhibere solet.

2° Secus non videtur obligandus ZACHARIAS ad restitutionem illius lucri, ex propria negotiatione percepti, quia fructus industrialis dici potest.

Obj. Sed *res fructificat domino*: ergo fructus pecuniæ CAROLO restituendus est.

R. Lucrum illud ex pecunia CAROLI perceptum, ex majori parte indus-

triæ furis tribuendum est, imo omnino ut fructus industrialis habendus juxta eos qui dicunt pecuniam ex natura sua sterilem esse. Hæc autem sententia non destituitur omni fundamento, licet opposita nunc probabilior et communior evaserit. Præter quod dominus læsus præsumitur contentus, si pecuniam recuperet, et, quoad damna quæ passus est ob ejus carentiam, indemnus fiat.

613. — *R. ad 2^m Quæst.* Etiam in hac hypothesis attendendum est ad damnum quod dominus læsus præsumitur subiisse, defectu pecuniæ, et illud reparandum est. Secus non videtur fur urgendus ad restitutionem lucri percepti, quia tanquam fructus industriæ haberi potest. Cæterum in praxi difficile restitutio hujusmodi lucri obtineretur.

614. — *R. ad 3^m Quæst.* Satis est si fur gallinæ SISINUS valorem bestiolæ restituat. Absolute quidem loquendo, stando in rigore principiorum omne lucrum, deductis expensis, restituere deberet, quia *res fructificat domino*, et ipse dominus hæc omnia commoda ex gallina sua obtinere potuisset. Attamen, *moraliter loquendo*, quando agitur de furto rei parvæ et valde communis, sufficit si valor rei illius restituatur, quia, ex æstimatione communi, dominus rei proprie aliud damnum non passus est. Etenim, si velit rem aliam similem habere, facillime hanc sibi procurare potest. *Ita communiter, Bouvier, etc.*

CASUS VIII.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 3^o.

1^o ROMARINUS, villicus, in prædio LICINII constitutus ad rustica negotia gerenda, centum frumenti modios domino subripuit, quos insequentibus anno vendidit, quando scilicet, propter annonæ penuriam, frumenti pretium in duplum excreverat. Dominus autem, si habuisset illud, ut reliquum vendidisset, eo tempore quo vilius venibat.

2^o Idem ROMARINUS etiam domino suo furatus est vitulum, qui paulo post secus fuisset lanioni venditus. Crevit incolumis servatus vitulus, et ingens bos evasit. Pœnitentia autem ductus, ROMARINUS perguit ad confitendum, et postulat a Confessario quid sibi sit agendum, seu quid restituendum? Titubans vero confessarius nescit quid interroganti respondeat?

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid restituendum a possessore malæ fidei, quando res fur-tiva habet alium valorem tempore detentionis?*

2^o *An ROMARINUS restituere summum valorem debeat, quem habuit sive frumentum sive vitulus?*

3^o *Quid contra, si res aliqua subripiatur tempore majoris pretii, et postea restituatur cum valor decreverit; vel res, ut est frumentum, creverit et decreverit?*

SOLUTIO :

615. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Dominus omnino reddendus est indemnus :

quare, si res deterior facta est apud furem, hic restituere debet juxta valorem quem habebat quando rapta est.

2^o Si res crescat apud furem, domino crescit, quia semper ad eum pertinet; proinde, si fur eam vendat aut consumat tempore majoris valoris, tenetur de hoc valore apud dominum.

3^o *Controvertitur* vero in hoc casu, scilicet, si dominus consumpturus fuisset rem suam tempore minoris pretii, et fur eam crescentem et postea decrecentem servaverit : an hic pro majori valore teneatur? *Affirmant alii*, quia, tempore majoris valoris, fur hujus valoris erat debitor; debitum autem contractum non cessat, nisi per solutionem. Sed *negant alii et probabilius*, quia non tenetur ad majorem valorem, neque ratione rei acceptæ, quæ nunc minoris valet, neque ratione damni illati, quia dominus fit indemnus. *V. Comp. n. 648.*

616. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o *In primo casu* ROMARINUS restituere debet frumentum juxta summum valorem quem habebat quando fuit venditum a villico, licet dominus fuisset illud venditurus anno præcedenti, antequam cresceret. Ratio est, quia, tempore hujus majoris pretii, pertinebat ad dominum. Præterea fur ex re aliena ditescere nequit.

2^o *In secundo casu*, ROMARINUS restituere debet bovem, talem prorsus qualem eum nunc habet, quia qualis nunc est in individuo, domino clamat. Sic respondeat Confessarius; non est enim ratio quare titubet. Difficultas tamen non parva erit in compensandis expensis, pro enutriendo bove, et commodis ex ejus labore perceptis. Hæc moraliter ex æquo et bono æstimanda sunt.

617. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Si res aliqua subripiatur tempore majoris valoris, et postea ejus pretium decreverit, fur tenetur ad restitutionem juxta valorem majorem, seu juxta valorem quem habebat quando sublata est, si dominus rem fuisset tunc venditurus, et non usque modo conservaturus. Ratio est, quia fur hujusmodi debitum contraxit, et dominum indemnem facere debet. Ergo...

2^o Si vero res subripiatur tempore minoris pretii, et postea creverit, et subinde decreverit, probabilius satis erit restituere juxta ultimum valorem, nisi dominus præsumatur eam voluisse vendere tempore majoris pretii. *V. Comp. n. 648.*

CASUS IX.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 4^o.*Cujum pecus?*

MELIBŒUS, agricola, cum magna cura miræ magnitudinis suem enutriebat, atque ex ea spem formosi pecoris in pectore gerebat. Verum in bona sorte nimium confidens, inania jactabat. Etenim, quadam intempesta nocte, BLASIUS belluam e stabulo subduxit, et in domum propriam secreto adduxit. Novi possessoris cura, sus prægnans evadit : quare brevi tempore ingens porculorum familia in lucem prodiit. Hæc multiplex proles mox grandior efficitur. Anno autem vix elapso, remordente conscientia, cogi-